Directore Deo,
Archiatro Summo!

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

De

INCUBO,

Quam

Juſſu, & Authoritate Ampliſſimi, juxtà ac Gratioſiſſimi Medicorum in Almâ Lipſienſi Collegii,

Sub Præsidio

VIRI

Ampliſſimi, Excellentiſſimi, ac Experientiſſimi

Dn. JOHANNIS ZEIDLERI, Phil. & Med. Doct. ejusdemq; Facultatis Decani, Prof. Therapeut. Publ. ac Colleg. Princip. Colleg.

Dn. Præceptoris, Fautoris, ac Promotoris ſui ætatèm devenerandi,

PRO

Aſſeqvendâ Honores, & Privilegia in Arte Medicâ Doctoralia

petendi

LICENTIA,

Publici Examinis loco proponit

M. Gottfried Welſch/ Lipſ. Art. Med. Baccal.

Ad diem 29. Iun. Ann. 1643.

LIPSIÆ,
Exſcribebat Timotheus Ritzsch.

VIRIS
Clariſſimo, & Excellentiſſimo
Dn. JOHANNI ITTIGIO,
Med. Licentiato, Inclytæ Facultatis Philoſophicæ Aſſeſſori, & Profeſſori Publico, nec non minoris Principum Collegii Collegiato;

Ut &

Reverendo, Clariſſimo, & Eximio
Dn. M. ABRAHAMO Teller/
ad D. Thomæ Diacono,

Suis olim Præceptoribus fideliſſimis, nunc verò Fautoribus & Amicis magnis

Inauguralem hanc Diſputationem in perpetuæ gratitudinis, & debiti honoris teſtimonium dicat, conſecrat.

M. Gottfried Welſch/ *Lipſ.*
Art, Med. Baccal.

RESPIRATIONIS ſummam eſſe Utilitatem, ſummamq; ad vitam communem Neceſſitatem, ve: doctè ſatis ſuperq; demonſtrare videtur *Galen. lib. de Utilitat. Reſpirat.* vel illam inſuper Caloris nativi probat Nobilitas, qvi Natura noſtra eſt, *Gal. 5. Aph. comm. 22.* & Facultas gubernans Corpora noſtra *1. Aph. comm. 15.* à qvo omnis ſ.n. alteratio, concoctio, nutritio, & in Excrementis ipſis qvalitates proveniunt, *l. 2. de Facult. Nat. c. 4.* Cujus tuendi, & conſervandi gratiâ ſummè occupata fuit Sapiens partium Formatrix, qvæ Corporis habitui laxitatem qvandam, innumeroſq; Cuti poros impreſſit, Pulmoneſq; fabricavit, ut Calor nativus à fuliginibus, qvæ nat. per poros cutis inſenſibiliter exeunt, defendatur, aëre verò per Reſpirationem attractò ventiletur & conſervetur. Reſpirationis autem Actio, cùm non minus ut reliquæ Facultatum Actiones lædi à Practicis obſervetur, non abs re feciſſe videbor, qvod de INCUBO, tanqvam in qvo manifeſte Reſpirationis Actio læditur, præſentem Inauguralem Diſputationem publici Examinis loco pro Ingenii viribus conſcripſerim, hancq; materiam ventilationis incudi publicè ſubjecerim. Qvod (DEUM precor) fiat Feliciter!

THESIS I.

AFfectus, quem in præſentiarum placido Opponentium Examini ſubjicimus, Græcis, vel ab Homine ejus Nominis, qvi freqventer crapulæ ſtudens graviter hoc affectu tentatus fuit, ut *Petr. Foreſt. Obſ. Med. l. 10. in Schol. ad Obſervat. 50.* â Præceptore Benedicto Faventino ſe notaſſe refert; vel ἀπὸ τοῦ ἐφιάλλεσθαι, ab inſiliendo, ἐφιάλτης; vel βαβουζυκάριος, ἀπὸ τοῦ βαβάζειν, qvod inarticulatè loqvi ſignificat; qvia Ephialtici incertam, & inarticulatam vocem edere in paroxyſmo ſolent; Latinis ab incumbendo, Incubus, vel Incubo, quod, qui afficiuntur, onus ſibi incumbere imaginentur, & inter falſas illas Imaginationes, quibus Ephialtici ducuntur, Hominem, qui illos opprimat, turpis libidinis uſum ab eis exigere, ſeu unà concumbere opinentur. *Vid. Vid. l. 2. c. 19. de Curat.* membratim; Germanis der Alp dicitur, oder das Nachtmännlein.

THESIS II.

Qvæ qvidem nomina Affectûs proprietatem deſignare nobis videntur, non obſtante, quod à variis Authoribus variis hic Affectus inſigniatur nominatibus: Avicennæ enim *lib. 3. fen. 1. tractat. 5. cap. 5.* ab adjunctâ Reſpirationis læſione Strangulator; *Themiſ. l. 2. Epiſt.* ἀπὸ τοῦ πνίγειν, πνιγάλιων, Suffocator; Dioſcoridi πνιγμὸς ἐνύπνιος; *Plin. l. 25. c. 4.* Noctis & Faunorum ludibria; vulgaribus puerorum Interfector, vel Mazapedum, ut habet *Dominic. Leo. l. 2. Art. Med. c. 13.* & Dæmon vocari ſolet, quam appellationem ex *B. Auguſtin. l. 15. de Civitat. DEI* fortasſis deſumtam, & ex falſa vulgi perſvaſione huic Affectui impoſitam eſſe putat *Ludovic. Mercator. l. 1. de Intern. morb. Curat. c. 10.* Meminit enim Author citatus quorundam Dæmonum, quos Incubos, & Succubos vocant, non tamen, quod dicti Dæmones Affectum hunc inducere ſoleant, ſed quod ſub formâ virorum mulieribus laſcivis, & Venerem expetentibus incumbant, vel, fœminas mentientes, viris ſuccumbant, uti clarè hujus appellationis rationem reddit *Petr. Paul. Pereda l. 1. de Curat. Morb. c. 10.*

TH. III.

TH. III.

Qvicqvid autem Incubi nomine veniat, nos h. l. Illum ſaltem, qvatenus forum Medicum ingreditur, corporisq; humani Affectus eſt, deſcribimus, qvod ſit Reſpirationis Offenſio, cum pravis inſomniis, à vapore craſſo in Reſpirationis organa, Caputq; ſeſe inſinuante, orta. *Sennert. l. 1. Prax. part. 2. c. 29. & in paralipom. ad l. 1. pract. Med. c. 10. Plater. Tom. 2. c. 4. de funct. læſionib. Fernel. l. 5. de partium morbis & Symptom. cap. 3.*

TH. IV.

Quam Definitionem dum, qvâ fieri poterit brevitate, explicare conamur, tria in illâ conſideranda nobis proponimus: 1. Definitionis Genus; 2. Partem Affectam; & 3. Cauſam efficientem, eandemq; proximam.

TH. V.

Genus Definitionis quod attinet, quamvis equidem Incubus per Pravum inſomnium à *Mercator. l. 1. de Curat. Morb. intern. c. 10.* per Phantaſma à *Platear. part. 2. c. 24.* per Importunam Oppreſſionem à *Bertin. l. 12. de Morb. & Sympt. part. intern. c. 3.* per Nocturnam aggravationem à *Caſpar. Peucer. c. 3. Prax.* per ponderoſum Incumbens à *Rhaſ. ad Almanſ. l. 9. c. 12.* & ab aliis aliter definiatur, nobis tamen Reſpirationis Offenſionem, tanqvam Symptoma magis urgens, & formalitatem hujus affectûs nervoſiùs exprimens, generis loco ponere viſum fuit, præſertim cum Incubus hoc tempore non minus à *Platero tom. 2. de funct. læſion. c. 4. de Reſpirat. defectu*, quam à *Sennerto l. 2. Prax. part. 2. c. 29. & in paralipom. c. 10. & Fernelio l. 5. de part. morb. & ſympt. c. 3.* eodem modo definiatur.

TH. VI.

Cumq; vitæ noſtræ ſubſiſtentia Spirituum copiâ & commoderatione conſtet, illorum vigore nitatur, qvibus Natura ad omnes Actiones ceu commodiſſimo inſtrumento utitur; Spiritus autem ipſi, teſte *Galen. de Vtilitat. Reſpir. t* alimentum ab aëre per

 in-

inſpirationem attracto capiant, conſequens ſanè eſt, ut Reſpirationis ſumma ad vitam ſit neceſſitas, ſummumq; ex ipſius læſione, vel offenſione Homini immineat periculum.

TH. VII.

Qvare haut inconvenienter nos feciſſe exiſtimamus, quod Genus Definitionis per Reſpirationis Offenſionem, hoc eſt, læſam reſpirandi Actionem, tanquam à quâ Ephialticis omne dependeat periculum, cum dictis Authoribus exprimere voluerimus.

TH. IIX.

Porrò cum Doctore *Galen. 1. de loc. affect. c. 1.* pro locorum Affectorum differentiâ Curationem quoq; variari contingat, ad Partis in Incubo Affectæ explorationem ut accedamus, inſtituti ratio poſtulat.

TH. IX.

Variæ autem de hâc ſunt Practicorum ſententiæ: Quidam enim Caput, muſculos, nervoſumq; genus, ut *Mercator. l. 1. de intern. Morb. Curat. c. 10. & Petr. Foreſt. l. 10. de Cerebr. morb. Obſerv. 50.* Quidam ventriculos Cerebri, ut *Johann. Gorræus in Definit. Med. pag. 162.* & Poſteriores imprimis, ut Recentiores apud *Sennert. in Inſtitut.* Quidam verò Præcordia, & Diaphragmatis Partes, ut *Fernel. l. 5. de Part. Morb. & Symptom. c. 3. & Plater. in Prax. Med. tom. 1. l. 2. c. 4.* Et *Sennert. in Paralipom. cap. 20.* Quidam Hypochondria, ut *Georg. Bertin. de Morb. & Symptom. part. int. l. 12. c. 3.* & Alii Alias pro Parte Affectâ agnoſcunt.

TH. X.

Verum omnes has ſententias facili negotio inter ſe conciliari poſſe putamus, diſtingvendo ſc. inter Partem primariò Affectam, & quæ per Conſenſum eſt.

TH. XI.

Ex quibus Partem primariò Affectam, & τὸ πρῶτον πάσχον eſſe Præcordia, & imprimis muſculos thoracis, & Pulmones, Reſpirationi inſervientes; Per Conſenſum verò Partium ſubje-

cta-

ſtarum pati Cerebrum, ipſiusq; Imaginatricem, Motricem, & Senſibilem Facultatem ab aſcendentibus fumis, ac inprimis ex fallaci perceptione oneris thoracis partes gravantis perturbari, & in ſuis actionibus ordinariis ſeduci cum ſuperiùs citatis Authoribus, *Fernelio* ſcil. *Platero* & *Sennerto* ſtatuimus. In Incubo enim Senſûs & Motûs qvandam adeſſe ligationem, certum eſt, talis tamen illa ſaltem eſt, qualis aliàs in profundè dormientibus accidere ſolet; Et licet Caput quoq; repleatur à vaporibus, illa tamen repletio Incubi cauſa non eſt, neq; caput ſubjectum eſt læſæ reſpirationis, quamvis ſit ſubjectum læſæ phantaſiæ. Unde Locus affectus à *Fernelio*, *Platero* & *Sennerto* citatis in locis rectè in thorace conſiſtere dicitur; Dum à vaporibus aſcendentibus Reſpiratio læditur, in ſomno inde Phantaſma oneris incumbentis formatur, ut homo ſe ab aliquo pectori incumbente opprimi ſomniet, teſte *Sennert. in Paralipom. c. 10.*

TH. XII.

Cæterum cum nihil ſine Cauſſa fieri, nulliusq; Actionis aut læſæ, aut abolitæ, ſanitatis aut morbi ratio aliter conſiſtere poſſit ſecundum *Galen. 1. Meth. Med.* absq; ulteriori remorâ ad Cauſſarum inveſtigationem acceſſum facere ſvadet ordo.

TH. XIII.

Cauſæ proximæ in definitione facta eſt mentio: Remotæ ſunt vel Internæ vel Externæ.

TH. XIV.

In Externarum numero primum ſibi vendicat locum Aër, cujus ſicut ſumma & inevitabilis eſt ad vitam neceſſitas, ita quoq; cùm ambiendo corpora, tùm quatenus reſpirando illum attrahimus, magnam corpora noſtra alterandi & p. n. afficiendi vim habet, *Sennert. Inſtit. libr. 4. part. 1. cap. 2.* approbante *Hippoc. libr. de Nat. Homin.* ubi morbos partim ex vivendi ratione, partim ex Spiritu, quem vivendo trahimus, provenire aſſerit; Hinc ſi ille à nat. conſtitutione ad excedentem frigiditatem recedit, ad Incubi generationem frigiditate ſuâ aliquid quoq; tribuere pro certò habemus; Aliquibus enim ex frigore externo, cùm retecto capite

dor-

dormirent,malum hoc accidiſſe, teſtis eſt *Petr. Foreſt. Obſerv. Med. l. 10. de morb. Cerebr. in Schol. ad Obſerv. 51.*

TH. XV.

Subſequitur prava victus Ratio & Alimentorum tam in Subſtantiâ, quam in Quantitate & Qualitate vitium; Si namq; cibus eâ copia offerendus, quantam Corpus, cui offertur, ſuperare valeat, ex *Hippoc. l. de Loc.* in Hom. & ubi p. n. copioſior ingeſtus fuerit, morbum faciat *Aphor. 17. ſ. 2.* Cibus inſuper nutrito ſimilis eſſe debeat, *Galen l. 1. Element.* elucet ſanè, quanta ex erroribus circa victûs rationem commiſſis Corpori noſtro accreſcat incommoditas, quantumq; ex illo errore periculum. Hinc videmus voraces, potatores, crapulæq; deditos ut plurimùm Incubo, & nocturnâ illâ compreſſione vexari, non minus verò & illos, qui in aſſumtorum Qualitate peccare, & cibis frigidis, craſſis, crudis & flatulentis, nullâ vel temporis, vel modi utendi ratione habitâ, uti conſveſcunt, dum plerumq; cibo priore nondum concocto novum ingerere, & concoctione itâ turbatâ cruditatem cruditati jungere ſolent.

TH. XVI.

Huc pertinent etiam Somnus, & vigiliæ immodicæ; Somnus enim licet *Hippoc. 6. Epidem. 5. text. 10.* viſcerum Cibus dicatur, duplici tamen ratione, Temporis videlicet, & Decubitûs ad Incubi generationem facere videtur; Ratione temporis quidem, ſi vel longo nimis, vel diurno, vel ſtatim poſt paſtum præſertim largiorem qvis indulgeat ſomno, naturales evacuationes impediuntur, Calor nativus hebetior redditur, pituitoſi humores in Corpore coacervantur, & fluxiones ac Catarrhi augentur; Ratione Decubitûs, ſi ſupinus ille eſt; repletionem in Capite excitat; Superfluitates namque Cerebri ad poſteriores partes confluunt, nec per ſuos canales naturales in anteriore Capitis parte ſitos (palatum, os, nares,) ſufficienter expurgari queunt *Avicen. l. 1. fen. 3. doctr. 2. c. 9.* Vigiliæ verò dum ab illis Balſamum illud vitæ hum. ſc: rad. abſumitur, calorq; nativus debilitatur, hùc non minus referri poſſunt.

TH. XVII.

Th. XVII.

Nec impar quoque eſt Motûs,& Quietis ratio: Plurimùm enim, & repentè movere corpus, periculoſum eſt Hippocrati *Aph. 51. ſ. 2.* cùm ab illo Spirituum diſſipatio, partium ſolidarum abſumtio, totiusq; Corporis imbecillitas & extenuatio, *Galen. l. 2. Aphor. Comment. 28.* fiat; Ab Otio verò, & Quiete nimiâ, Corporis frigiditas, excrementorum retentio, Caloris nat. præfocatio, ciborumq; infelix concoctio, & diſtributio, indeq; cruditas generandis vaporibus apta prognaſci ſoleant; Ad hujus affectûs generationem faciunt non minus Hæmorrhoidum, Menſium, ſeminis, aliorumq; Excrementorum p. n. retentio.

Th. XIIX.

Circà Cauſſas autem Externas præterea notandum eſt, varias de illis eſſe vulgi opiniones; Alii enim Dæmonem inſultantem, & ſuprà Corpus ſalientem: Alii Vetulam ad Venerem invitantem; Alii Canem: Alii aliud quid Corporeum ſibi incumbens, corpusque comprimens eſſe dicunt: Et pleræque mulierculæ virum quendam corpori ſuo incumbentem eſſe pronunciant.

Th. XIX.

Verùm ad Fabulas has nos non attendimus, ſed potius in inquirendis cauſis Phyſicis permanemus, & ad Cauſſas Internas acceſſum facimus:

Th. XX

Cauſſæ autem Internæ ſunt vel antecedentes, & remotæ, vel Continentes & Proximæ.

Th. XXI.

Ad Cauſſas Antecedentes pertinet 1. Viſcerum naturalium p. n. conſtitutio, imprimis verò intemperies frigida, & humida, quâ ſi vel ventriculus, vel Epar, vel Lien detineantur, cruda fit concoctio, craſſiq; & pituitoſi ſangvinis generatio; hinc multi, & craſſi excitantur Vapores, & halitûs, qvos Natura tempore

ſomni aggreditur,& concentrati tunc temporis caloris ope expellere quidem per inſenſibilem tranſpirationem conatur, ſufficienter tamen non poteſt;

Th. XXII.

11. Humorum multorum,& craſſorum plenitudo, exſiſtentium intra venas meſeraicas,præſertim autem thoracis,& partium vicinarum,earum maximè, quæ Reſpirationi inſerviunt; qui humores, licet diverſi quidem ſint, plerumqve tamen vel à copia ſangvinis,vel à pituitoſis,crasſis,crudis,& Melancholicis, in Epate,Meſenterio,Liene,& circa Præcordia congeſtis malum hoc produci,& Cerebro poſtea communicari ſolet.

Th. XXIII.

Cauſſa Continens,& Proxima,eſt Vapor craſſus,qui interdum in ipſo Capite produci creditur à Merc. & Aliis,à Cerebri ſc. excremento crudo,& tenui,cùm illud ab ambiente aëris frigiditate incraſſatur,ut tam citò diſcuti neqveat, ſed ſeſe in nervorum meatûs inſinuat, & craſſitie ſuà Spirituum animalium ad motus & Reſpirationis organa influxum impediat, atque ità, donec diſcutiatur,Affectum hunc inducat; Interdum verò,& ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ à copioſo crudorum humorum proventu in ventriculo, circà Hypochõdria,& in venis meſeraicis ſecundùm *Platerum,Sennertum,Fernelium* majoribus præſertim,& circà Præcordia ad viſcera diſperſis generatur; cùm in illis multa excrementa; ſangvisq; impurus cumuletur,teſt. *Senn. l. 2. part. 3. ſect. 2. cap. 6.* ex quibus reſoluti vapores circa Diaphragma ſubſiſtunt, & nocturnam hanc compreſſionem, ſuffocationisq; metum inducunt, ut idem *Sennert.* habet *in Paralipom. c. 10. & Plater. l. de funct. læſ. c. 4. de Reſpirat. defect.*

Th. XXIV.

Vapor autem hic ex *Maſſar. l. 1. c. 20.* ab omni humore, præterquam à Bile flavâ,quippe qvæ mordendi vim habet, & ad inducendum hunc affectum,minimè accommodata eſt; originem trahere poteſt; & duplicem agendi vim habet,ratione Quantitatis ſc. & Qualitatis;

Th. XXV.

TH. XXV.

Quoad Quantitatem, copia ejus æſtimanda venit, neceſſeq; eſt, ut multi, & ad effectum inducendum ſufficientes ſint vapores, ne, ſi in juſto minore adeſſent copiâ, à Naturâ ſtatim conſumantur, & diſſipentur;

TH. XXVI.

Quoad Qualitatem, vaporem hunc caliginoſum, crudum, craſſum, & frigidum eſſe dicimus, peculiarem tamen ipſi attribuentes craſſitiem, & qualitatem, quâ ſc. Diaphragmati, partibusq; vicinis, & Cerebro communicari, ipſisq; ſeſe inſinuare poſſit; Nec acredinis, mordacitatis, vel alius alicujus malignæ qualitatis ſimul compos eſt, quia tunc Cerebrum, membranasq; illius magis afficeret, & Epilepſiam induceret.

TH. XXVII.

Ex quibus talem Generationis modum nobis imaginamur: Corpus noſtrum ne diurnis laboribus, & cogitationibus juſto citius conſumatur, Opifex Max. quieſcendi tempus, noctem ſc. in quâ laſſi & defatigati ſomnum capiamus, ſapienter ordinavit, cujus virtute non ſolum vires roborantur, corpusq; placidâ quiete reficitur, ſed & concoctiones promoventur, & meliores efficiuntur, quod teſt. *Gal. l. 1. de Cauſſ. Sympt. c. 8.* dum ſomni tempore Animalem vim quieſcere, Naturalem verò vehementius operari affirmat. In ſomno autem fiunt evaporationes: quæ, cùm craſſæ, & fuliginoſæ thoraci & capiti communicentur, difficilem reſpirationem, & depravatam imaginationem efficiunt.

TH. *XXIIX.*

Ex hiſce facilè danda eſt Symptomatum ratio; Somniant namq; ponderoſum quiddam ſibi incumbens, quia vaſa thoracis crudis humoribus, & vaporibus repleta tument, à quibus vaporibus perturbata Phantaſia, in dijudicundo fallitur, & pro vaporum conditione falſa profert Phantaſmata; Clamitare cupientibus vocis iter ſibi præcludi ſentiunt, vinctos, & affixos ſe putant ſentiendiq;, & movendi vim non habent, quia, affecto à vapori-

bus cerebro, ipſa quoq; movendi, & ſentiendi organa ſympathicè afficiuntur.

TH. *XXIX.*

Cur autem reſpiratio & motus impeditus in thorace præcipuè percipiatur, ratio eſt, quod cæterorum membrorum motu dormiens Animal non adeò opus habeat, ſed ob reſpirandi ſummam neceſſitatem thoracis motus præ reliquis maximoperè neceſſarius exiſtat.

TH. *XXX.*

Differentias Incubi quod attinet, differre dicitur Incubus (1.) ab Incubo, & (2.) ab aliis Affectibus ſimilibus;

TH. *XXXI.*

Incubus autem ab Incubo differt 1. Ratione Cauſſæ Efficientis, unde alius à Sangvine craſſiore; alius ab humore pituitoſo; alius verò à melancholico;

TH. *XXXII.*

Et 2. Ratione Durationis, unde alius eſt recens, alius inveteratus.

TH. *XXXIII.*

Ab aliis verò Affectibus ſimilibus: A vertigine quidem, quod vertiginoſi frequenter à rebus, & cauſſis externis, Ephialtici verò non niſi à cauſâ internâ moveantur, & in paroxysmum incidant, *Ludovic. Mercator. l.1. de Inter. morb. Curat. c.10.*

TH. *XXXIV.*

Ab Inſomniis, quod inſomnia citrà morboſam in corpore διάθεσιν, & diſpoſitionem monſtris, & Imaginibus plena ſint; Incubus verò non, niſi præ exiſtente in Corpore malâ quâdam diſpoſitione accidat; uti idem Mercatus habet loco in præcedente Th. cit.

TH. *XXXV.*

Ab Apoplexiâ, & Epilepſiâ, quod horum Affectuum partim formalis ratio longè ſit diverſa, partim cauſa proxima habeatur ventriculorum Cerebri ab Humoribus, & Vaporibus orta pe-

cu-

culiaris Obſtructio, & Subſtantiæ Cerebri Repletio ex vulgari opinione; Incubi verò (licet ille *Holler. de morb. Inter. l. 1. c. 14. & Ariſtot. l. de Som. 1. & vigil. c. 3.* Epilepſia nocturna dicatur) cauſa ſit thoracis compreſſio, ac phantaſiæ in apprehenſione, & formatione ſpeciei phantaſticæ aberratio, quamvis Epilepſiæ ſimilis videtur hic Affectus Paulo *l. 3. c. 15.* ex eo, quod Ephialtici plurima ex iis in ſomno patiantur, quæ Epileptici vigilando perpeti conſveverunt.

TH. XXXVI.

Signa duplicia habentur, Diagnoſtica ſc. & Prognoſtica.

TH. XXXVII.

Diagnoſtica ſunt: Motûs tarditas, torpor, incertæ, & Inarticulatæ vocis expreſſio, Rei alicujus prementis ac (quod frequentiùs contingit) ſpectri incumbentis, & ſuffocantis imaginatio, & functionum animalium omnium ferè, cum Reſpirationis Difficultate, læſio; Aliquibus enim Ephialticis viſum fuiſſe ſpectrum à pedibus aſcendere, totumq; deinde corpus comprimere, & occupare, hinc mugitus, peterentq; auxilium, ſi poſſent, Scribit *Bernhard. Gordon. de Paſſion. Capit. part. 2. c. 24.* Sic Sacrificus ille querebatur, ſub quamlibet ferè noctem ad ſe commeare mulierculam, ſibi non ignotam, & pectori ſuo illabi, illud violenter comprimere, atq; animæ vias coarctare, ut ægrè reſpirare queat; hinc clamare cupienti vocis iter ſibi præcludi, ut quantum præ pavore nitatur attollere, minimè tamen queat, nec porrò manus ad propulſandam injuriam, nec pedes ad capeſſendam fugam expedire ſe valere fatebatur, de quo legatur *Iohann. Schenckius Obſervat. l. 1. de Incubo*; Sic etiam Foreſto, dum adhuc puer eſſet, à Cane nigro ſe Opprimi, ut anhelitum trahere non potuerit, in ſomno viſum fuit, uti de ſeipſo teſtatur *l. 10. Obſerv. Med. de Cerebr. Morb. Obſerv. 51.* Et Aliis alia repræſentata fuiſſe ſpectra paſſim ex hiſtoriis, & Obſervationibus Medicis videre eſt.

TH. XXXIIX.

Hæc autem omnia non vigilantibus, ſed dormientibus in ſomno eveniunt; quia Calor nativus in ſomno vegetior factus

in craſſos,viſcidos, crudosq; humores validius agit, halitusq; caliginoſos, & vapores craſſiores ab eis elevat, illos verò primo ſtatim ſomni acceſſu,quo Incubus fieri ſolet, diſcutere minimè ſufficiens eſt, *Ludov. Mercat. l. 1. de Intern. Morb. Curat. c. 10*; præterea etiam vigilans Animal,circa Phantaſmata non ita fallitur,ut dormiens, & vapores craſſi ſomni tempore Reſpirationis Organa comprimentes, Cerebrumq; petentes per vigilias facilius erumpere, & diſcuti poſſunt, *Maſſar. l. 1. c. 2.* Tamdiu verò durat Affectus hic, usq; dum ob Patientis anxietatem, & clamandi deſiderium, Spiritus fiant mobiles, & perrupto ſomno Homo excitetur.

TH. *XXXIX.*

Signa Differentiarum à cauſis petitarum ex Phantaſmatum formâ deſumuntur; Cùm enim Præcept. *Hippoc. l. de Inſomn.* quales intus lateant ſucci, noxam illaturi, ex inſomniis prænoſcendum ſit, haut ſecus ex illis Incubi cauſſa cognoſci quoq; poterit; Quemadmodum enim Inſomniorum Phyſicorum & naturalium Cauſſæ manifeſtæ ſunt, ſive illæ ſint Externæ, *Hippocr. cit. l. de Inſomn.* ἡμερινῶν πρήξεων ἀποδόσεις dictæ, ſive Internæ, Humorum ſc. nat. abundantium ſpecies, quorum ratione Bilioſi rixas, pugnas, cædes, incendia; Melancholici tenebras, ſpectra, funera, ſepulchra; Sangvinei Convivia, Muſicam; Phlegmatici nives, balnea, natationes in aqua ſomniant; Ita quoque de Inſomniis, quæ p. n. ſunt, ex Humorum p. n. abundantium ſpecie conjectura facienda; Hinc ſi rubicunda apparent Phantaſmata, & Martem ſomniant Ephialtici, à Sangvine malum oriri cenſendum eſt; Si albicant, & balnea, & ſubmerſiones aquarum ſomniant Incubo detenti, à Pituita; ſi nigricant, & horribilia occurrunt Phantaſmata, à Melancholia mali principium dependet; ita ſi Venerem ſomniant, ex retentione, vel corruptione ſeminis, aut Menſtruorum fit Incubus.

TH. *XL.*

Signa Differentiarum à parte affecta ab antecedente Partium Diſpoſitione petenda ſunt.

TH. *XLI.*

Th. XLI.

Quantum ad Prognoſtica, illa vel imminentem Incubum prænuntiant, vel eventum præſagiunt.

Th. XLII.

Imminentem Incubum Pueris imprimis prænuntiat *Hippocrates Aph. 24. ſect. 3.* ubi in illorum morborum, qui ætati puerili contingunt, numero, nocturnos pavores complectitur; In cujus Aphoriſmi Comment. *Gal.* Pavores, inqvit, per ſomnum Infantibus adſunt, iis præſertim, qui naturâ edaciores ſunt; quamvis equidem pavores hi à vero Incubo in hoc differre videantur, quod in illis nec vox, nec motus intercipiantur, ſed aut ſubmiſsâ, aut queribundâ voce lamententur, aut altè interdum exclament, nonnunquam etiam adeò terreantur, & angantur, ut magnâ vi, niſi prohibeantur, è lecto proſiliant; in hoc verò ſenſûs & motûs ſit quędam ligatio, cum Reſpirationis offenſione conjunctâ; Interim tamen qui pavoribus hiſce vexantur, ut Infantes, ad Incubum proclives, & proximè diſpoſiti ſunt; Cujus quoque rei cauſſam in ſuprà citato *Comment. Galen.* affert, voracitatem ſcilicet, & hinc enatam cruditatem, propter quam pueri plerunque, & poſt hos, qui crapulæ dediti ſunt, *Holler. l. 1. de morb. int. c. 14.* & obeſi, & Mulierculæ, quarum corpora cachectica, utplurimum Incubo vexari ſolent.

Th. XLIII.

Quod ad eventûs Prognoſin attinet, non equidem magni periculi hic Affectus eſt, ſi à crapulâ, eâq; levi, ortum trahat, præſertim cum rariores Paroxyſmi, & acceſſiones leves, ac Symptomata mitia ſint; verum ſi plures Paroxyſmi, Symptomata graviora, malúmq; confirmatum, & inveteratum eſt, abſq; morâ Patienti ſuccurrendum eſt; Freqventius enim ſi accidat, Apoplexiam, Epilepſiam, Maniam, Melancholiam, Paralyſin, ſubitamq; cordis ſuffocationem, & mortem repentinam minatur; ſiquidem non rarum eſt, quosdam, præſertim Pueros, & obeſos, in quib9 vapor craſſior, & copioſior eſt, nullumq; exitum reperit, in ipſo cubili mortuos repertos fuiſſe; Deterior eſt Incubus, qui partim dormienti, partim vigilanti accidit, quia Epilepſiæ propinquior; Imprimis au-

tem ſi poſt excitationem ſudor frigidus, tremor cordis, aut Spaſmus, vel Syncope eveniant, lethale eſt; Quia Cor quoque ob Copiam, & pravitatem materiæ ſimul affici ſignificat.

TH. *XLIV.*

Abſolutâ Primâ, ad alteram Diſputationis hujus partem nos accingemus, breviterq; quæ Curationem Incubi reſpiciunt, annectemus, procedentes Medendi Methodo, quæ certas nobis ſuppeditat Indicationes, quibus, quid in hoc Affectu agendum nobis ſit, indicatur;

TH. *XLV.*

Indicationum autem tres ſunt; Curatoria ſc. Præſervatoria, & Vitalis; unde tot quoq; erunt Indicantia; Curatorium vid. quod Cauſſæ Continentis, & Proximæ ablationem, vaporis diſcuſſionem, & diſſipationem indicat; Præſervatorium, quod Cauſſas Antecedentes, & Procatarcticas, Humores ſc. vitioſos, tollere jubet; & Vitale, quod virium perdidarum reſtitutionem, præſentium Conſervationem, Partiumq; debilitatarum refectionem, & corroborationem indicat.

TH. *XLVI.*

Medici itaq; Officium eſt, ut tàm quid Paroxyſmi, quàm quid remiſſionis tempore agendum, ſit ſollicitus.

TH. *XLVII.*

In Paroxyſmo quidem, cùm Affectus hic ſomni tempore invadat, omnium primò Ephialtici vel compellatione Nominis (ut vulgo placet) proprii, vel leni Corporis impulſione, vel cum increpatione à ſomno excitandi ſunt; hinc fieri etiam poterunt, pro rei exigentiâ, vel leves, vel fortiores extremarum partium ligaturæ, & frictiones; Vapores internè diſcutiantur Aq. Zedoar. carminat. aneth. cinam. Spir. anis. fœnic. cortic. aurant. mac. &c. cumq; incertum ſit invaſionis tempus, noctuq; potiſſimum fiat, ideoq; ne auxiliis deſtituti relinquantur in paroxyſmo, ſoli dormire non debent, qui huic malo obnoxii ſunt, ſed ſummè proficuum ipſis erit ſecundùm vulgarem verſiculum:

Semper habere aliquem Piladem qui curet Oreſten;

TH. XLIIX.

TH. XLIIX.

Poſt Paroxyſmum verò ſecundæ Indicationi ſatisfacere optimè poſſumus;

TH. XLIX.

Cumq; Vapores, quos ſuprà pro Continente Incubi Cauſſâ agnovimus, ex omnibus humoribus, præterquam à Bile flavâ, originem trahere poſſint, Sangvine ſc. Pituitâ, & Melancholiâ, triplicem hinc ſuſcipere Curationem neceſſe eſt.

TH. L.

A Sangvine itaq; non craſſitie tantùm, ſed copiâ quoq;, & quantitate peccante, ſi vapores provenerint, huic indicationi ſatisfacimus, dum craſſitiem illam attenuamus medicamentis attenuantibus, utpote ſunt: fumar. Ceterach. chamedr. Chamæpit. lupul. Cichor cuſcut. capil. ♀ cum ſem. aniſ. fœnic. ammeos, &c. Cremor item & Cryſt. ♀ tinct. ♀ &c. & copiam ſangvinis deminuimus, id quod venæ ſectione perficitur, quâ ſolâ ſæpè, ut alii ſecund. *Gal. de. Sangv. miſſ. c. 6.* à Plethorâ introducti morbi, curatur Incubus; Celebratur autem Phlebotomia in Adultis tantùm, & adſvetis; In non adſvetis verò, & delicatioribus Cucurbitularum in ſcapulis, & cruribus ſcarificatarum applicatio locum ejus complet; Verùm in Pueris, & in quibus ſangvinem detrahere contra indicat Ætas, & aliæ Circumſtantiæ, imprimis diætâ, & accuratâ victus ratione curatur; Secatur verò vel Medianâ, vel Epatica, vel Cephalica ad minuendam copiam; interdum tamen revulſionis gratiâ venæ in pede aperiuntur commmodè, præſertim mulieribus, quæ retentis, & ſuppreſſis menſibus laborant.

TH. LI.

Si verò Sangvini alii humores peccantes commiſceantur, qui vaporum generandorum aptam præbeant materiam, illos convenientibus & cuilibet humori appropriatis medica-

mentis præparare, & præparatos evacuare jubet Medendi Methodus.

TH. LII.

Hinc ſi à Pituitâ quocunque modo genitâ vapor exhalaverit, præparanda illa & διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων evacuanda eſt;

TH. LIII.

Præparatio fieri debet per attenuantia, & calefacientia, ex menth. chamædr. calaminth. meliſſ. enul. beton. hyſſop. marrub. origan. Salv. Majoran. rosmarin. ſtæchad. Arab. &c. ex quibus Aquæ deſtillatæ, Eſſentiæ, Extracta, Syrupi, & Decocta præparari arte Pharmaceuticâ poſſunt, inter quæ Decoct. Gvajaci, & Pæon. à *Foreſto* ſummè recommendantur, & à *Vid. Vid. l. 2. de Cur. membr.* generoſa in hoc Affectu medicamenta vocantur.

TH. LIV.

Præparatus ità, & ἔυεργος factus humor Pituitoſus purgari denique, & evacuari debet medicamentis convenientibus, Agar. turbith. trohiſc. Alhandal. mechoac. chelap. Pil. aur. cochi arab. hier. c. agar. phlegmagog. de abſynth. Quercat. Spec. diaturbith. c. Rhab. Elect. diaphœn. Ind. maj. benedict. laxat. &c. quæ pro Patientis placito, ætatis item, & temperamenti conſtitutione variis poſſunt exhiberi formulis, inter quas Pilulæ, partim ob illarum molem exiguam, partim verò ob ſoliditatem, quâ citius devorâri, & diutius in ventriculo immorari poſſunt, principatum tenere videntur.

TH. LV.

Poſt purgationem hoc quoque in Caſu tentari poteſt venæ ſectio, præſertim ſi Pituita ſangvini permixta eſt, nec reliquæ disſvadent circumſtantiæ;

TH. LVI.

TH. LVI.

Emetica non minus ἄνω exhibere poſſumus, videlicet ſi pituita ventriculo impacta, & Patiens ad vomendum diſpoſitus, & proclivis ſit.

TH. LVII.

Sin verò, quod rariùs accidit, ab humore melancholico vapores Incubum inducentes proveniant eâdem Methodo procedendum eſt, præſcriptis tamen medicamentis huic humori convenientibus, & appropriatis;

TH. *LIIX.*

Melancholicus itaque humor ſi p. n. abundat, ἄνω qvoque, & κάτω evacuari poteſt; rariſſimè ἄνω, ſc. in ventriculo & vicinis partibus collectus in aſſvetis expurgandus; In non adſvetis autem, & ubi humor p. n. altius inhæret, præmiſſâ præparatione κάτω educendus eſt;

TH. *LIX.*

Præparatur autem Humor melancholicus incidentibus & attenuantibus, qualia ſunt: Polypod. viol. ceterach. lupul. eupator. ſcolopendr. fl. geniſt. Epithym. cort. cappar. rad. aperient. pimpinell. &c. Syr. de fum capill. ♀ byzant. oxymel ſ. & C. de 5. rad. &c. quibus ſemper admiſceantur ſem. aniſ. fœn. & pro placito variæ præparentur Remediorum formulæ;

TH. *LX.*

Evacuatur verò convenientibus melanagogis, utpote polypod. epithym. fol. ſen. helleb. nigr. myrobal. Confect. hamech. diaſen. Syr. hell. Quercet. de Pom. laxat. Pil. de fum. de Ammoniac. Quercet. anti♄. Quercet. de lap. Laz. Extr. hell. nigr. &c.

TH. *LXI.*

Tertiæ denique Indicationi, quam vires oſtendunt, ut ſatisfaciamus, convenientemq; Patienti diætam, ex ſex rer. non nat. legitimo uſu dependentem præſcribamus, reſtat;

 TH. LXII.

Th. LXII.

Aër itaque ſit moderatè calidus,& purus,non nebuloſus,nec tetris vaporibus infectus; caveat æger à frigore,ventis,ſolaribus,& Lunaribus radiis;

Th. LXIII.

Cibus ſit εὔπεπτος, & εὔχυμος, ac parum excrementoſus, cujus generis ſunt: Cremor ptiſanæ, panis triticeus benè ſubactus, & ſtudioſè cum modico ſale, & cumino in clibano coctus; Carnes perdicum, gallinarum, pullorum gallinaceorum, Caponum, Vitulorum, & juſcula ex his parata, quibus ſimul incoquantur hyſſop. ſatureia, rosmar. major. ſalv. fl. borrag. bugloſſ. viol. &c. & admiſceantur ſem. aniſ. fœnic. carvi, cumin. &c. Ex piſcibus ſint ſaxatiles, funduli, lupi, &c. Non verò niſi latrante ſtomacho, parum tamen, & imprimis tempore cœnæ comedendum, interque cibandum talis obſervandus ordo, ut, quæ fluida, & facilioris coctionis ſint, præmittantur,ſolida verò,& difficiliora coctu modicè ſumpta, & benè correcta ſubſequantur; Interdum etiam à Cœnâ planè abſtinere plurimum juvabit, & vel Paroxyſmum præcavebit, vel tamen mitigabit; nec minus quoque profuturum eſt, ſi in ultimâ menſâ, & poſt paſtum ægri utantur cibis adſtringentibus, pyris, Cydoniis. &c. Abſtinendum eſt autem à Cibis frigidis, craſſis, flatulentis, melancholicis, & ingluvie,& ſatietate nimiâ.

Th. LXIV.

Potus ſit Cereviſia optimæ notæ, non craſſa nec flatulenta, inter quas VVurzenſis, & Serveſtana optima; Vinum, ſi ipſi eſt aſſvetus ægrotus exhibeatur album,tenue, aquoſum, & dilutum, Neccarinum,abſynthites,& ſalviatum, modicè tamen ſumtum; Poterit etiam cum fructu pro potu aſſumere aquam, non ſimplicem, quia inflat,ſed decoctam cum paſſulis minoribus, ſem. aniſ. foe-

fœnic.cinamom. item & aliis. Vidus Vid. ſummoperè commendat vinum, præſertim ſi vapores ab humore melancholico elevati fuerint, quod ex pomis dulcibus, & maturis elicitur, *l. 2. de Cur. membr. c. 19.*

TH. LXV.

Somnus, utpote qui cauſſam hujus mali maximè promovet, moderatus ſit, ac naturalem menſuram non excedat, in quo decubitûs forma obſervanda quoq;, præſertim autem ſupinus, & qui in torſo fit, vitandus; Cubantem enim in latus dextrum, vel ſiniſtrum decumbere decet, manûs, cervicem, & Crura paulum reducta habere, & omne corpus molliter poſitum; ita enim pleriq; benè valentium cubant, *Gal. in Comment. l. 1. Præſag. num. 6.* nec quoq; poſt paſtum ſtatim & ſuper ſatietatem, ſed poſt duas aut tres à cœnâ horas dormiendum eſt; Circâ lectum ſuſpendatur lavendul. puleg. mentha. thym. roſmar. rad. pæon. &c. quæ odoris ſuavitate Caput, ne tàm facilè quosvis vapores recipiat, & receptos foveat, corroborare, Spiritûsq; reficere apta ſunt.

TH. LXVI.

Exercitia ſint moderata, & tempore conveniente inſtituta;

TH. LXVII.

Alvi & Veſicæ excrementa, pro copiæ ingeſtorum ratione, conſvetæ item vel per Uterum, vel per Hemorrhoides evacuationes ſolito tempore ſuccedant, Arte, ſi non à Naturâ.

TH. LXIIX.

Procul deniq; relegentur Animi Pathemata, imprimis verò triſtitia, fabulæ venereæ, turpesq; cogitationes, & Amor inconſvetus; Animi verò, quocunq; modo id fieri poſſit, concilietur tranquillitas.

TH. LXIX.

Peractis hiſce, ſi conjuncta virium proſtratio eſt, Partium

corroborationi tàm intrinſecùs exhibitis, quàm extrinſecùs applicatis ſtudere, Inſtituti ratio poſtulat.

TH. LXX.

Circa Cor, & Præcordia fieri poſſunt vel inunctiones ex balſam. cinam. caryophyll. citr. &c. ſacculi applicentur vino, aq. meliſſ. viol. cinam. borrag. carbuncul. fl. aurant. roſ. &c. irrorati; vel exhiberi poteſt Conf. de hyacinth. Alkerm. cordial. Spec. liberant. cord. temperat. El. de gemm. cal. &c.

TH. LXXI.

Ad Capitis corroborationem proſunt: Conſerv. ſtæchad. ſalv. beton. Anthos. ſpec. diambr. diamoſch. dulc. dianiſ. Quinta Eſſentia Matthiol. aq. lavendul. Apopl. Langii, & Epilept. ejusdem. Spir. lil. convall. ceraſ. nigr. Balſ. major. roſmar. Apopl. &c.

TH. LXXII.

Prætereà etiam fieri poſſunt Capitis, & Pedum lotiones, ex herb. menth. Serpill. chamomill. Origan. majoran. ſtæchad. calaminth. in aquâ, vel cereviſia decoctis; Embrochæ quoq; ex tali decocto, vel aq. majoran. ſalv. ſpic. nard. roris marin. &c. Et Cucuphæ ex cort. citr. cyper. caryoph. arom. herb. major. fl. beton. ſtæchad. arab. roſ. rubr. ſuccin. maſtiches. lign. aloes, moſch. ambrâ, &c.

TH. LXXIII.

Circà Ventriculum inunctiones fiant ex Ol. nuc. moſch. per expreſſ. cinam. maſtich. aneth. menth. deſtill. &c. Ceratum quoq; ſtomachal. Gal. vel de ladan. Craton, ſive de cruſtâ panis regioni ventriculi imponi poteſt ſalubriter; Plura quærantur apud Practicos & imprimis *Sennert. 1. Prax. Part. 1. c. 10. & Plat. Tract. 2. de Function. læſion. c. 4.*

TH. LXXIV.

Specificum in hoc Affectu recommendatur ſemen Pæoniæ maris juſto tempore collectum, ſi tritum illud ad gr. XV. in potu, vel

vel aq. fl. til. lil. convall. vel ceraſ. nigr. manè & veſperi ſumatur. *Alexand. Veronenſ. l. 1. c. 13. Foreſt. Obſ. l. 10. de morb. Cereb. Obſ. 50.*

Th. LXXV.

Amuletorum deniq; loco eſſe poſſunt ſemen, & Radices Pœoniæ, Corallia, lapis pyrites, *Mercat. l. 1. de intern. morb. Cur. c. 10.* rûtæ ſemen caligæ ipſius qui noctu ſomniat, neſcientis tamen ſuſpendendum eſſe ſvadet *Gal. l. 3. de Medicin. facile parabilib. & lib. de incantat.* ſardam XX. gran. pondere collo ſuſpenſam, aut in digito geſtatam, ne homines in ſomno horribilia videant, prohibere legitur; Aniſum quoq; pulvinis, culcitriſq; inſperſum, uti quoq; lupina pellis ſubſtrata Ephialticos ab affectu tutos reddere creditur, Petr. *Foreſt. l. 10. Obſerv. de Morb. Cereb. in Schol. ad Obſervat. 50.*

FINIS.